



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

36. An qui se fingit Sacerdotem, teneatur ad Sigillum? Ex p. 5. tr. 11. res.  
15.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



# De Sigillo Confessionis. Ref XXXVI. & c. 44

& in honorem ac venerationem sacramenti, & in fauorem poenitentium, & fauores sunt ampliandi, ita vt non solum intelligantur de sacramentali confessione, sed etiam de illa, quae ad modum confessionis sacramentalis fit; cum dolore, & pro necessitate, siue fiat laico, siue non. Ita Fagundez, qui respondet ad argumenta, quae pro negatiua sententia adducit Suarez.

3. Notandum est tamen cum Onuphrio *opusc. de sigillo, sect. 3. q. vnic. dub. 5.* quod licet supradicta opinio negatiua esset vera, tamen in tali casu laicum, etiam si non teneatur sigillo sacramentali, teneri tamen maximo secreto naturali (loquimur autem in casu, quo laicus assumitur loco Sacerdotis) neque pro aliqua causa debere illud infringere, etiam adhibito iuramento, & potius tenetur mortem subire, quam secretum illud naturale aliquo modo violare. Sequitur secundo huiusmodi laicum assumptum a poenitente loco Sacerdotis, etiam si audiatur delictum aliquod ex confessione illius, non posse tamen a iudice compelli ad illud iudicialiter manifestandum, neque in eo iudicem posse fundare inquisitionem aliquam; & ratio est, quia delictum illud sic auditum, non pertinet ad forum externum alicuius iudicis, vnde non potest de illo aliquo modo inquisitio fieri a iudice etiam Ecclesiastico. Sed ex his oritur alia difficultas.

## RESOL. XXXVI.

An qui se fingit Sacerdotem teneatur ad sigillum? Ex part. 5. tr. 1. Ref. 15.

§. 1. **V**iusmodi fictum Sacerdotem non teneri nisi secreto naturali ad celanda ea, quae ex tali confessione audiuit, tradit Toletus *lib. 3. c. 6. numer. 13.* cum aliis. Et ratio est, quia confessio facta coram ficto Sacerdote non est sacramentalis, ergo neque potest habere sigillum, neque obligare alios ad sigillum sacramentale. Et hanc opinionem tenet nouissime Onuphrius *opusc. de sigillo sect. 3. q. vnic. dub. 4.* vbi probat confessionem sacramentalem, & consequenter ad sigillum duo requiri. Primum, vt fiat confessio coram habente auctoritatem; secundum, vt fiat a poenitente animo percipiendi sacramentum. Vnde in aliqua confessione, licet ex parte poenitentis sit animus percipiendi sacramentum Poenitentiae, & alia omnia, quae penes poenitentem requiruntur, si tamen deficiat primum, quod maxime requiritur, auctoritas scilicet, ex parte audientis, non erit confessio sacramentalis, & consequenter neque sigillum, proprie, & formaliter loquendo, & contra si poenitenti non sit animus percipiendi sacramentum, sed potius sit animus contrarius illudendi, scilicet Confessarium, neque sit illi aliqua mens poenitendi, etiam si sit auctoritas in audiente, neque erit confessio sacramentalis. Quare ad confessionem sacramentalem tantum illa duo videntur necessaria, vt scilicet fiat a poenitente animo percipiendi sacramentum, & praeterea quod maxime requiritur, vt fiat coram habente iurisdictionem.

2. Verum licet haec opinio olim mihi ariserit, nunc contraria placet, quam tuetur Valboa de Magrouiejo in *lect. Salmar. tom. 2. cap. omnis vtriusque sexus, num. 64.* Mæratius in *D. Thomam, tom. 3. tract. de sacram. Poenit. disp. 3. sect. 2. num. 1.* Raynaudus de *monitor. part. 3. cap. 3. quest. 4.* Suarez in *3. parte, tom. 4. disp. 3. sect. 2. n. 1.* cum D. Antonino, Soto & Adriano, quibus ego addo doctum Ochagauiam de *Sacramentis tract. 3. de sigillo confessionis, quasi. 1. n. 4.* vbi sic ait. Hinc sequitur cum communi sententia cum,

qui fingens se esse Sacerdotem Confessarium, cum bona fide poenitentis audit confessionem, teneri ad sigillum. Probatur, quia poenitens confitetur bona fide & intentione sacramenti efficiendi: ergo debet ei seruari sigillum, aliàs ipsi sacramento & poenitenti maxima fieret iniuria, quae omnia necessaria sunt vt sacramentum de se onerosum, suae reddatur. Dicendum est igitur ad obligationem sigilli non requiri confessionem esse ex omni parte absolutam, & perfectam, nam licet poenitens non absoluitur propter indebitam dispositionem, si tamen habeat animum recipiendi verum sacramentum, & ex tali animo confessus est, tuetur Sacerdos ad seruandum sigillum, aliàs maxime retraherentur homines a confessione: ergo, &c.

## RESOL. XXXVIII.

An qui casu audiuit peccata alicuius, teneatur ea non manifestare sub sigillo?

Et quid, si ex industria quis audiuit alterius confessionem sacramentalem?

Idem est dicendum de eo, qui intelligit murum per murum, & signa, vel quempiam surdastrum alius confitentem. Ex part. 5. tr. 1. Ref. 16.

§. 1. **V**iguerius & Tabiena asserunt tam illum, qui casu quam qui ex industria accedit, teneri ad celandum sub peccato mortali, non tamen proprie sigillo sacramentali, sed secreto quodam participationem sacro. Sotus in *4. dist. 18. quest. 14. art. 5.* ait. Si quis casu audiat peccata confessa, quia forte poenitens recitet alta voce, teneri illa sub mortali peccato celare secreto naturali, non sacramentali; si vero ex industria audiat, teneri tunc ad sigillum, & grauius puniendum esse, si illa reuelat aliis, non tamen puniendum esse iis poenis, quae infliguntur a Canone: & ita Tannerus *tom. 4. disput. 6. quest. 9. dub. 6. num. 134.* docet, casu audientem confessionem teneri inuolabili secreto, non tamen sacro sigillo.

2. Sed affirmatiuam sententiam tuendam esse puto. Dico igitur quod siue ex industria, quis audiat alterius confessionem sacramentalem teneri sigillo ad illam celandam. Et ita asserunt Doctores, quos citat Onuphrius *opusc. de sigillo, sect. 3. quest. unica, dub. 3.* quibus ego addo Fabrum *de poenitent. in 4. sent. dist. 19. quest. unica, disput. 34. cap. 2. numer. 19.* Pitigianum in *4. tom. 2. dist. 21. quest. 2. art. 5.* Megala in *1. part. lib. 1. cap. 16. num. 5.* Valboam de Magrouiejo in *lect. Salmar. tom. 2. c. omnis vtriusque sexus, de poenit. & remiss. num. 63.* Mæratius in *D. Thomam, tom. 3. disp. 3. sect. 2. nu. 1.* Fagundez *praecip. 2. lib. 6. cap. 6. num. 25.* Suarez in *3. part. tom. 4. disputat. 33. sect. 4. num. 7.* Moscoso in *summa, tract. 7. cap. 15. num. 5.* Caelestinum in *compend. tract. 1. cap. 17. num. 3.* Reginaldum *tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 26.* Kellifonium *tom. 2. in 3. part. quest. 11. art. 5. dub. unico.* Praepositum in *3. part. quest. 11. de sigillo, dub. 4. num. 33.* Granada de *Sacramentis, centrou. 7. tract. 11. disp. 4. num. 1.* Malderum *tract. de sigillo, cap. 14.* Mercorum de *Sacramentis, in 3. part. quest. 11. art. 3.* & Hurtadum de *Sacramentis, disp. 12. de poenit. diffie. 3.* Probatur haec opinio contra Sotum, quia sic audientes confessionem, siue casu, siue ex industria cognoscunt peccata ex confessione sacramentali: ergo obligantur ea celare sub sigillo. Deinde res transit cum suo onere: ergo cum confessio in se contineat sigillum, ad quemcumque transeat, semper transit cum hoc sigillo; ergo vel ille, qui audit confessionem alterius, audiatur casu, vel industria, qui audit confessionem,

Sup. duabus primis diffie. huius tituli supra eusdem in fine Ref. 4. & in Ref. 33. §. vit. verif. Quarto cum.